



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae  
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo  
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae  
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

**Horrion, Johann**

**Paderbornæ, 1616**

Capvt VII. De aliena à veteri Religione Academia in Vvestphalia tentata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14243**

mis, & maximis ornamentis, atque præsidij non ad suam modò, verùm ad totius Christianæ reip. vtilitatem abundanturam.

## CAPVT VII.

## De aliena à veteri Religione Academia in VVestphalia tentata.

**Q**Vare nunquam tibi pro eo ac meretur hoc tamdiu optatum beneficium, gratiam VVestphalia referet. Tu enim primus in media eius luce campum aperuisti, in quo nostrorum hominum industria, in exiguum gyrum paucarum nuper disciplinarum compulsa, liberè tandem ad omnem Sapientiam excurrere, cognoscique possit. Tibi debet omnis posteritas, quòd quæ maiores nostri litterarum decora, atque præsidia peregrè petebant, ea jam domi, te auctore nascantur, atque ita patriam, quam adhuc parentem tantùm, & altricem suam vocabant, deinceps, tuo beneficio, eorum quoque bonorum procreaticem sint habituri, quæ sola, cum semel possidere cœperimus, nunquam nostra esse desinent. Est verò aliud quoque quod diuinæ prouidentiae gratulemur. neq; enim mihi tam latandum videtur, quòd aliquãdo hoc doctorum hominum seminarium in VVestphalia sit conditum, quàm quòd eam mentem veteris, atq; Orthodoxæ religionis colenti Principi potissimum iniecerit. Neque enim defuerunt qui secessione ab Ecclesia Catholica facta, VVestphalam post annos jam demum octingentos veritatem se docturos professi, suis nouis opinionibus, Academiarum more, non modò Ecclesiarum opibus, sed etiam Ecclesiasticis principibus administris extruere gymnasia laborarunt. Fuit in eo numero superiore seculo

feculo Arnoldus Burenus, cuius extat oratio sanè verbosa  
 ad Franciscum Monasteriensem Episcopum, non sine præ-  
 fatione Philippi Melanchthonis. In ea principiò mirifi-  
 cè laudat Episcopum, quòd **incredibili totius prope**  
**Germaniæ admiratione**, à Pontificia illa, vt ipse  
 loquitur, impietate ad puram Christi doctrinam  
 (Lutheri deliramenta dixisse oportuit) se transtulerit.  
 deinde persuadere conatur, vt VVestphalæ iuuentuti  
 ludum aperiat, qui non solum inferiorum ar-  
 tium tractatione, sed etiam Theologicarum re-  
 rum, & Iurisprudentiæ professione nobilitetur.  
 Addit incredibile esse, quanta futura sit istius beneficij glo-  
 ria: Vnum illum ex omnibus Episcopis, quibus  
 vnquam VVestphala Ecclesia, atque Resp. fuerit  
 commissa, extitisse, qui primus in illam Ecclesiã  
 sacrosanctam Euangelij doctrinam, & in scho-  
 lam, verè piam, & salutarem institutionem, o-  
 mnibus ineptijs, impijsque somnijs ex illis detur-  
 batis, intulerit. Hæc ille. Ac sanè si quòd vnquam  
 fuit tempus oblatum VVestphaliæ diuinitus, quo meritò  
 poterant omnium animi ad Academiæ cupiditatem erigi,  
 hoc profectò illud fuit, cùm ampla, & valida in primis Vr-  
 be ex Anabaptistarum fanaticorum hominum, & omnis  
 honestæ doctrinæ coniuratorum hostium dominatu, in li-  
 bertatem vindicata, omnes vehemens quoddam demen-  
 tissimæ illius inscientiæ, atq; barbariæ, tam recenti malo,  
 odium percepisset. Itaque post receptam urbem, eorum  
 qui ludum in illa litterarium, de quo nuper dixi, celebra-  
 bant, duo admodum millia censã fuisse accepimus. Cùm

D

ergo

[ Vide  
Laur. Fa-  
bricium  
exam In-  
quif. Mo-  
nast. e. 7.]

ergo ad minorum, vt ita dicam, gentium artes, tanti concursus fierent, quid futurum fuisse putemus condita Academia, in qua sublimiorum quoque doctrinarum studia viguissent? Sed nimirum huius meriti gloriam DEVS tuæ Celsitudini, Princeps optime, referuabat. Neq; verò, qua fuit in nos bonitate, commisit, vt ciuitas vixdum illa turbulentissima tempestate perfuncta, eis cathedras, & subsellia erigeret, qui primi eius commouendæ duces extiterant. Quis enim est rerum illo tempore gestarum tam rudis, qui nesciat Lutherianos prius in Catholicos, quam in Lutherianos Anabaptistas, coortos, his faces ad rempub. turbendam prætulisse? Quis ignorat huic ipsi Francisco, ad quem scribit Burenus, non Anabaptistas modò, sed etiam Lutherianos rerum nouarum, & seditionis pœnas dedisse? Ac fuit ille quidem deinde, nescio quo illorum temporum fato, eò delapsus, vt haud dubiè eorum partibus faueret, quorum sceleratos impetus antè compresserat: ne tamen ei Episcopatus, Pontificis Max. sententia, vt erat institutum, abrogaretur, supremum Canoniorum Collegium, ob magna viri in Ecclesiam merita, intercessit, deditque operam ne quid præterea res Catholica detrimenti caperet. Verùm, quæ, malum, est huius hominis impudentia? primusne Franciscus sacrosanctam Euangelij doctrinam in VVestphaliam intulit? itane? tot sanctitate & doctrina illustres antistites, qui à fundata in his terris Christiana religione Ecclesiam gubernarunt, expertes Euangelicæ doctrinæ fuerunt? quid? antequam Petrus VVerthemius ad res nouas moliendas Monasterium Marpurgo mitteretur, scholæ ineptijs, & somnijs refertæ erant?

CAPVT